

DECURIA
QUÆSTIONUM
ILLUSTRIUM PHI-
LOSOPHICARUM,

Quas,
DEO DUCE,
In incluta Leucorea,

PRÆSIDE
VIRO

Plurimum Reverendo, Præclarissimo, Excellentissimo,

DN. JOHANNES SCHARFFIO,

SS. Theol. Licentiato, ejusdemq; Extraordinario,
& Philosophiæ Ordinario Professore Publico Cele-
berrimo, Dn. Præceptore, Patrono & Promotore suo
observanter suspiciendo,

Publicè defendendas suscipiet

CHRISTOPHORUS Herold/

Gresliciô - Variscus,

In Acroaterio Majori,

Ad diem 15. Augusti, horis matutinis.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.

ANNO M DC XLIV.

Coll. diss. A
215, 41

Diss. A. 215 (41)

18. 36.
2 VIII. 20. 6

V I R O

*Reverendâ Dignitate Amplissimo, Excel-
lentissimo & Orthodoxâ Pietate Clarissimo,*

DN. JACOBO VVELLERO, SS. Theol.
Doctori Celeberrimo, Ecclesiarum & Scholarum
apud Brunovicenses Superintendenti Meritissi-
mo, Gravissimo.

Ut &

*Amplissimo, Clarissimo, nec non Pruden-
tissimo Viro,*

DN. MICHAELI SCHNEIDERO, Præ-
fecturæ VVittebergensis Quæstori meritissi-
mo.

Dnn. Suis Fautoribus, Cognatis, ac
Promotoribus plurimum hono-
randis,

In debitæ observantiæ documentum,
& ulteriorem sui suorumq; studio-
rum commendationem

D. D. D.

Christophorus Heroldus
Gresliciô - Variscus,
Respond.



QUÆSTIO I.

An Philosophia in scholis Christianorum

studiosè tractanda sit atq; excolenda?



Venerabile sapientis & Sapientiæ nomen est, quod cum olim Pythagoræ, viro supra laudes, præaltum nimis atque invidendum penè videbatur, Φιλόσοφος salutari maluit, quàm Σόφος. Factum inde est, ut quos anterioribus seculis *Sapientes* deprædicaverant, post *Philosophos* nuncupare ceperint, indeq; *Philosophiam* dixere, quæ primitus Σοφίας gloriam merebatur. Philosophiam intelligas velim non *phaleratam illam*, quam Ambrosius Antistes reprehendit, quod aliena quærat, cum sua nesciat; non *minutiloquam* in mortalibus sermonibus, argutiis, vanisq; subtilitatibus occupatam, quam eo nomine pungunt Sancti Patres, *Irenæus, Tertullianus, Hieronymus in Eccles. c. 10. Gregorius Nazianzenus verò in Orat. 1. de Theologia* abjectam prorsus cupit; non *declamatoriam*, quæ inani verborum strepitu personat & rhetoricationibus indulget nimis; non *contentiosam*, cujus sectatores ceu cancorum comedones ob exiguum alimentum circa crustas & testas diu occupantur, & tandem vanâ ambitione impulsæ ad meras ineptias, nugasq; delabuntur; Sed *veram, germanam, venustam pariter atq; vetustam*, quæ ipsum veritatis studium est, interprete *Clemente Alexandrino lib. 1. § 6. Strom.* quæ de rerum omnium principio, summo cognoscendarum lumine, ac agendorum bono, nos rectè instruit, ut *August. lib. 8. de Civ. Dei. c. 9. nec non libro 2. de doctrina Christiana c. 40.* graviter monet, quæq; omnivarias scientias, & benè vivendi rationem ita concinnat, ut tum mediocri sermonis genere, usitato tamen quàm maximè, & ipsis rebus tractandis attemperato, utatur, tum consuetâ & regiâ procedat viâ, tum solidis deniq; omnia construat documentis. Ita videlicet Philosophari convenit, ita omninò Philosophiam consecrandam æstimo, probèq; excolendam & studiosè tractandam. 1. Quia cultura & medicina animi est, ut *Cicero loquitur lib. 2. Tuscul. quæst.* quæ extrahit vitia radicibus, & præparat ani-

mes

A 2

mos ad satus accipiendos, eaq; mandat his & serit, quæ adulta fructus uberrimos ferant: rationem excolit & sermonem humanum, quibus præcipuè differt homo à brutis, ingenium informat, iudicium acuit. 2. Quia est præcipuum totius humanæ eruditionis summarium, scientiarum variarum seminarium, & quasi viridarium, est omnium laudatarum artium procreatrix quædam, & quasi parens, ut rursus loquitur *Cicero lib. 1. de Oratore*, quæ nos primò ad cultum divinum, deinde ad jus hominum, quod situm est in generis humani societate, tandem ad modestiam, magnitudinemq; animi erudit, & ead. ab animo, tanquam ab oculis caliginem dispulit, ut omnia supera, infera, prima, ultima, media perspiceremus. 3. Magistra morum est, & disciplinæ, vitæ dux & virtutum mater. *Seneca in epist. 17. Facere docet Philosophia, non dicere, & hoc exigit, ut ad legem suam quisq; veniat, ne orationi vita dissentiat, ut ipsa inter se vita unius, sine omnium actionum dissensione, coloris sit.* Maximum hoc est & officium sapientiæ & iudicium, ut verbis opera concordent, ut ipse ubiq; par sibi, idemq; sit. *Aristippus interrogatus, quid differat doctus ab indoctis, respondit, quod equi domiti ab indomitis.*

Scilicet ingenuas didicisse fideliter artes

Emollit mores, nec sinit esse feros.

Rectè *Plato lib. 6. de legibus* ait: Homo rectæ institutionis & doctrinæ compos, divinissimum & mitissimum omnium redditur. Aliter autem vel non satis, vel non rectè institutus, ferocissimum, & maxime indomitum omnium, quæ fert tellus. Demus ergò nos Philosophiæ excolendos, quod salubrè prorsus *Ciceronis* consilium est. *lib. 4. Tuscul.* patiamurque nos sanari ab ea, si boni & beati volumus esse, omnia adjumenta & auxilia petamus benè, beatèq; vivendi. 4. Quia omnibus seculis à magnis viris maximoperè commendata fuit atq; exulta. *Vide Diogenem Laërt. de vitis Philosophorum. Genealogiam Philosophiæ, & seriem Philosophorum in Chronolog. Alstedii. Lipsium in Manuduct. ad Stoicam Philosophiam lib. 1. dist. 2. & 3. Tittelman in Prologo Dialect.*

Vesana & inhumana vox est *Pape Gregorii in Jure Canon. dist. 38. Cap. 13. Indig.* Indignum vehementer existimo, ut verba divini oraculi restringam sub regulas Donati. *Platina de Paulo Secundo Pontifice refert, ipsum humanitatis studia adeò odisse, ut ejus studiosos uno nomine*

nomine

nōmine hæreticos appellarit. Sed & vesania execranda Enthusiastarum, Anabaptistarum, Carolstadii, Weigeli, aliorumq; est, qui & Scholas, & artes Philosophicas furiosè contemnunt. Nec minor vesania est Monachorum Franciscanorum, qui Fratres ignorantiae laudantur. *Vide Balduin. in Casibus Conscientialib. 4. c. 2. Cas 9. Conferatur omnino Oratio Basili de lectione Ethnicorum.*

QUÆSTIO II.

An multa sint singularia, quæ genus habent, & nullam speciem?

Massonius in Anat. Triumph. c. 15. p. 678. contendit Genus non semper mediante specie prædicari de Individuo: & addit, *multa esse singularia s. individua, quæ nullam speciem habeant, ut sint terra, Luna, Sol, Venas sive Lucifer & similia.* Sed turpissimus error Massonii iste est, & absurda prorsus opinio, quæ totam naturam Generis evertit & definitioni Generis simpliciter repugnat. Omne Genus est eorum, quæ dicuntur *περὶ τινος*, ad aliquid, est relatum speciei, adeoq; semper certæ speciei genus est, fundatur in suis speciebus; unde per abstractionem mentis formatur. Quocirca impossibile est, ut Genus sit sine aliquâ specie. Quanquam non semper requiritur, ut pluribus insit speciebus, cum in una specie ejus integra natura conservari possit. Semper tamen necesse est, ut in unâ aliquâ contineatur Specie. Certissimum est, quod Logici docent, *Genus mediante specie prædicari de Individuis.* Rectè Massonio opponitur Keckerm. qui lib. 1. System. Log. sect. ult. c. 2. can. 2. p. 162 ait: *Generi subjicitur Species, & Individuum non immediate subest Generi, sed mediante Specie, per & propter quam etiam differentiam habet.* Quæ verò in contrarium disputat Massonius, omnia falsissima sunt. Dicit Keckermani dictum non semper esse verum. At semper illud ita esse, natura Generis ejusq; definitio satis superq; ostendit. Non Keckermannus modo id docet, sed omnes omninò saniores Logici uno ore inculcant. Dicit Massonius, *Sunt multa Entia, Viel dinge sind lauter singularia vnd haben keine speciem, Als die Erde / die Sonne / der Mond / der Morgenstern vnd dergleichen.* Resp. Fallit Calvinista & turpiter errat. De eo singulari quæritur nunc, quod Genus habet, quodq; Generi subjacet, & de quo prædicatur Genus, illud destitui specie, & immediate subjici Individuo, fal-

fissimum est. Estne verò terra individuum? Estne Sol individuum? Estne Luna individuum? Anne ignorat Massonius, quâ ratione in Logicis species *Μοναδικῆ* dicantur, eæq; ab Individuis discriminentur? Individua solo numero differunt, & conveniunt in essentiâ eadem. Ergone Sol, Terra, Luna sunt ejusdem essentiæ? Absurdum. Individua quidem sunt hæc terra, hic Sol, hæc Luna. Sed quando absolute dicitur Sol, Luna, Terra, tum ibi designatur Species *Μοναδικῆ*, non Individuum. Porro dicit Massonius: *Man saget / Die Sonne ist ein Planeta / die Erde ist ein Element / da wird ja vom Individuo, non immediate Specie, das Genus ausgesprochen.* Resp. Et hoc falsissimum est, de Specie ibi prædicatur Genus, non de Individuo, nisi forte hunc Solem, hanc terram, hanc Lunam intellectam velis. Quæ quidem Individua sunt, & de illis prædicatur Genus: verum non immediate, sed mediate, scilicet mediante specie, non secus ac communiter in multis aliis fieri solet. Verbi gratia: Hic homo est animal, Petrus est animal, hoc aurum est metallum, hic canis est bestia.

QUÆSTIO III.

An Denominatio semper fiat ab inherente forma, non extrinseca?

Bellarminus lib. 2. de Justif. cap. 7. colum. 1058. sic disputat: *Etiamsi aliquando denominatio fiat à formâ extrinsecâ, quomodo res dicitur cognita per cognitionem, quæ est in mente, ut Paries dicitur visus per visionem, quæ est in oculo: tamen cum in aliquo duæ sunt formæ contrariæ, una inherens, altera extrinseca, sine dubio denominatio absoluta desumitur ab inherente formâ potius, quàm ab extrinsecâ. Si quis enim Æthiopem candidâ veste indueret, non rectè diceret: Hic Æthiops est albus, sed contra: Hic Æthiops est niger. Quoniam magis pertinet ad eum propria & inherens nigredo, quàm ille ascititius candor externus, &c.* Mittamus, quod ille ex Theologia immiscet, illud saltem quod de denominatione absoluta disputat, in præsens exponendum rectiùs est. De concursu contrariarum formarum loquitur Jesuita, & tum dicit ab inherente potius fieri denominationem, non ab extrinseca. Id certè si verum adeò est, ut contendit ipse, non video utique, cur non potius omnes gallinæ, omnes vaccæ, omnes oves, omnes equi, omnes boves dicantur albi, cum in cute ob inherentem albedinem tales sint. Certè

Certè interna potiùs est illa qualitas, quæ in cute est, albedo nimirum, quàm quæ est in adhærentibus pennis, pilisve. Edicant Jesuitæ, Luna dum ecclipsatur, an lucida potiùs sit, quàm obscura, cum per inhærentem formam talis sit. Quid dicamus de Stellis minutioribus, quæ utiq; lucent omnes, & intrinsecè lucidæ sunt, an verò nullæ obscuræ sunt, aut omnes interdum dicuntur lucidæ? Aristoteles & cum eo Peripatetici docent, aërem naturam esse humidissimum & calidum: interna proinde forma, sive qualitas inhærens ejus est humiditas, & caliditas. At verò quis adeò insensatus est, qui dicat aërem hyeme esse calidum, ubi omnia frigore rigent? Annon potiùs denominatio aëris tùm fit ab extrinsecâ formâ, qualis est frigus, quod ei accidit. In æstate verò, cum æstu torrescunt singula, quis aërem laudaret humidum? Insanus ne sit, qui denominationem ab inhærente potiùs urgeret forma, quàm externa, qualis siccitas est? Quid dicamus de aqua fervente, aut thermis, & de ferro candente seu splendente? Certè interna forma sive qualitas aquæ frigus est, non fervor, non calor, sicuti ferri est nigredo, non splendor. Ergone dicendum erit, aquam ferventem esse frigidam, aut thermas esse frigidas, aut ferrum candens esse nigrum? Sed hæc, nî fallor oppidò, planiora sunt & facilio-
 ra, quàm quæ operosam mereantur disquisitionem. Uno verbo dicam, quod est: Denominatio à potiori fieri solet, & à formâ prædominante. Observes tamen & illud, quod *Suarez tom. 2. disp. Metaph. disput. 45. sect. 4. num. 9.* non inscitè docet, quomodo contrariæ forma simul denominent. *Cavenda, inquit, est equivocatio, ne sit contentio in verbo denominandi. Nam potest intelligi de denominatione verbali, quæ consistit in usu nostræ locutionis, & impositione nostrorum, & sic verum est, nos non vocare simpliciter tale, nisi à formâ prædominante, & quia non possunt ambæ formæ contrariæ prædominari, ideò denominatio semper est una tantum, quam quidem denominationem, quando formæ sunt æquales, nos non sumimus ex una vel alterâ formâ, sed ex tali conjunctione utriusq; ita ut, licet denominatio in verbis sit simplex, in re sit quasi collectiva. Ut cum dicimus, aquam esse tepidam, perinde est ac si diceremus, esse affectam frigore & calore, cum quadam æqualitate. Hanc autem æqualitatem vel excessum nos non mensuramus ex re ipsâ, sed ex sensu nostro, vel activitate. Unde aquam interdum vocamus simpliciter calidam, licet fortè in re plus habeat frigoris, quàm caloris: quia calor magis agit & sentitur.* Alio modo

*Suarez
 tzius.*

modo

modo intelligi potest denominatio realis, id est, quae in re ipsa existit ex vi adhaesionis formae ad subjectum & posset proprio conceptu & nomine significari. Et hoc sensu verum est, duas formas contrarias, eo modo, quo sunt simul duas dare denominationes, quia duos habet effectus formales, qui propriis nominibus possunt significari, licet de facto non sint imposita incompleta nomina, quae illos significent, tamen complexè dicere possumus, idem esse calidum ut sex, & frigidum ut duo, vel quid simile. Haec tamen denominationes non inferunt contradictorias, quia reverà non sunt contrariae: Nam licet dicantur sumi à formis contrariis, quasi materialiter, non tamen formaliter ut contrariae & repugnantes sunt. Haec Suarez. Plura videantur in Philosophiâ Sobriâ B. Meisneri part, 2. quaest. Logic. cap. 1. quaest. 11.

QUAESTIO IV.

An Ens sit Compositum?

Massonius

Massonius part. 1. Anat. General. cap. 15. p. 639. contendit, Ens esse compositum, & genus analogum. *Ens*, inquit, ist dasjenige das *essentiam* hat und also *compositum*. Item, Wann wir sagen / Gott ist ein geistliches Wesen / da ist das wörtlein / *essentia*, Wesen / das *genus analogicum*. Utrumque erroneum est. De genere alibi disputandum erit. Rectius Ethnicus Philosophus ait lib. 2. *Post. Analyt. cap. 7.* Το εἶναι nullius rei *essentia* est. *Ens enim non est genus*. Quod probè notandum est. Compositum, dico, non est, cum sit abstractissimum, quod ulterius abstrahi non possit. Unde simpliciter simplex nuncupatur à Scottis: videlicet simpliciter simplex secundum modum abstractionis dicitur, quod habet maximam abstractionem, ut ulterius abstrahi non possit, quia est præcisè ipsum. Tale quid est *Ens*. Quod ipsum porrò patescit ex eo, quod generalissimum sit, præcisum ab omnibus compositis, & summè simplici enti quoque verè ac realiter competat. Dicitur verò *essentiam* habere, non vulgari modo, sed per summam identitatem. *Ens est ipsissima essentia*. Falluntur ergo, qui hîc compositionem comminiscuntur.

QUAEST.

QUÆSTIO V.

*An causa per accidens equivocè & nomine-
nus sic dicatur, an verò unà de reali causarum naturâ participet,
adeoq; vera suo modo sit causa?*

Communitè tradunt Philosophi, causam per accidens im-
propriè sic dici, atq; adeò non esse veram causam, cum nulla neces-
sitate neq; ullo ordine ad effectum producendum concurrat.
Quam opinionem hodierni quidam disputatores in vicina Aca-
demia ambabus, quod ajunt, manibus acceptant, eamq; eò exten-
dunt, ut audacter scribant, terminum per accidens in hoc loco esse
alienationem seu alienantem particulam. Verba eorum hæc sunt:
*Qui statuunt causam se habere ad causam per accidens, sicut genus ad spe-
ciem, superius ad inferius, oppidò falluntur. Tò per accidens est determi-
natio alienans seu tollens rationem cause, sicut loqui solent. Nullam in
scriptis Aristotelis legimus definitionem cause. Franciscus Suarez ait, cau-
sam in sua latitudine esse principium per se influens esse in aliud, quam defi-
nitionem ferè omnes, quos vidi, probant & usurpant. Si ergò ad rationem
cause in genere pertinet per se influere, & vero per se & per accidens oppo-
nuntur, & eorum unum tollit alterum, Manifestissimum est tò per acci-
dens esse determinationem tollentem rationem cause, & causam per acci-
dens non dici causam propriè sed equivocè. Sicut serra de serrâ ferreâ &
cereâ & homo de homine vivente & mortuo equivocè dicitur, ita ut cereum
serræ & mortuum hominis rationem tollat. Quemadmodum ergò non se-
quitur: Est serra cerea. Ergo est serra. Est mortuus. Ergo est homo: ita parum
aptè colligitur. Est causa per accidens. Ergo est causa. Hæc illi. Mirum sa-
nè hoc est, quod tò per accidens in ratione causandi sit non causa-
re, id quod præter & contra omnem usum loquendi est. Quis enim
fando audivit, per accidens esse idem ac non esse, vel per accidens
fieri esse non fieri, per accidens occidi aut loqui esse non occidi,
non loqui, per accidens errare esse non errare. Sed ut intelligatur
rectiùs, quid de propositâ quæstione sentiendum, primò omnium
notetur, quod Aristoteles lib. 5. Metaph. c. 2. & lib. 2. Phys. c. 3. causas per
accidens non obscure annumeret iis, quæ dicuntur ἀφ' ἐνός καὶ
πρὸς ἓν ab uno ad unum. Scilicet sicut in causis per se aliz dicun-
tur πρῶτον καὶ ὑστέρων; sic inter illas est πρῶτον καὶ ἕγχερον.*

*Aristote-
les.*

B

Sicut

Sicut ibi se habent *τὰ περιέχοντα πρὸς τὸ κατ' ἑκάστων*; ita quoque in causis per accidens idem similiter notat, ut clarissima verba monstrant in locis modò citatis, in quibus ex professo hanc rem pertrahat. Exempla quoq; Aristotelis puram illam æquivocationem causæ per accidens non admittunt, sed potius earum quædam veram aliquam causandi rationem in effectu conferunt, ut Polycletus aut homo in producendâ statuâ. Non sine causa dubium hic movet Suarez, *Cur Aristoteles actionem supposito forma tribuat per accidens* (v. g. homini fabricationem statuæ, aut calefactionem aquæ) cum alias actiones sint suppositorum, & respondet, *actionem per se esse à supposito, quatenus affectam est tali formâ*, non verò necessario secundum se, & ita calidum per se calefit, non verè aqua. Addit porrò *tunc actionem per accidens tribui supposito, quando vis agendi per accidens illi inest, ut ars statuaria in homine*. Quod ergo causalitatem attinet, hæc per accidens est, *Homo facit statuam*. Rectissimè hæc monet Suarez, sed nos exinde concludimus:

Omne suppositum propriè & reverà agit, non æquivocè, adeoq; vera causa est.

Quoddam suppositum est causa per accidens, scilicet cui vis agendi inest per accidens.

E. quædam causa per accidens propriè & reverà agit, non æquivocè, adeoq; vera causa est.

Nemo, ut persuasum mihi habeo prorsus, erit, qui supposito veram actionem denegabit, præsertim ii, qui principiis Aristotelis ita indulgent, ut actiones nec partium nec accidentium esse statuunt, sed totius compositi. Quam ob rem frequenter inducunt illud *ex lib. i. de anima c. 4. text. 64. dicere animam inisci, simile est ac si quis eam diceret texere vel edificare: melius enim fortassis est non dicere animam misereri, aut addiscere aut cogitare, sed hominem animâ*. Sic & hoc loco non rectè dices, statuariam artem facere statuam, sed hominem per artem. Quis negabit Polycletum propriè & reverà suum opus fuisse in statuâ producendis: nimirum Polycletus ille est statuarius, de quo etiam Galenus meminît, notante Simplicio, qui statuam miro artificio struxit, habentem omnem commensurationem membrorum per se, & ad invicem, & propter hoc Polycletus regulam appellari voluit. At verò Polycletus per accidens
artio

artifex fuit, & per accidens tantæ fabricæ autor. Unde manifestum est confectarium, quandam causam per accidens esse veram & propriè sic dictam causam. Quod ipsum porrò patet *ex propositionibus accidentalibus*, quæ opponuntur propositionibus per se in quarto modo. Propositiones per accidens sunt in doctrina demonstrationis, quando dicitur: *Homo edificat vel carit, & disputat* & similes, eo quod effectus per accidens prædicetur de causâ per accidens. At quis negabit illas veras esse, adeò ut illis subjectis actio vera competat, iisq; verè & propriè tribuatur, sintq; adeò autores illarum actionum.

Huc porrò faciunt & ea, quæ *ex parte effectus* contingunt, & sic accidentaliter fiunt, ut si quis ligna findens sublatâ securi stantem à tergo, quem ibi stare nescit, percutiat, ipsiq; vulnus infligat, is equidem causa per accidens est illius vulneris, cum id fecerit præter omnem voluntatem & intentionem, vera tamen causa est & autor illius vulneris. Reverâ enim & physico motu eum percussit. Huc pertinent ea, quæ fortuna & casu fieri dicuntur, ut homicidia casualia, de quibus vide *Num. cap. 35.*

Quin imò & iste modus causandi contra adversarios est, qui effectus appellatur per accidens respectu concursus aliquarum causarum, quamvis supposito illo concursu talis effectus per se emanet à tali causa, ut si lapis è tecto decidens prætereuntem lædat, & vulnus capiti illac incedentis infligat, id planè accidentarium est, & ejus percussio causa per accidens lapis vel tegula est: vera tamen causa est & non æquivocè sic dicta. Similiter se res habet in exemplo, quando quis columnam movet, & unâ lapidem superimpositum, ut facto motu decidat. Quæ omnia quando rectè consideramus & expendimus probè, non possumus assentiri eis, qui sine omni discrimine pronunciant, causam per accidens esse æquivocè causam, quasi is qui dicit, aliquid esse causam per accidens, eo ipso negat esse causam. Hoc dico illud est, quod approbare non possum. Contrarium sive contradictorium satis superq; ut puto, constat è dictis, nempe quandam causam per accidens esse veram causam.

QUÆSTIO VI.
*An Propria unius speciei communicari
queant alteri?*

Kecker-
mannus.

Famofissima quæstio ea est, quæ de communicatione pro-
priorum agitatur. Calviniani eam vehementer impugnant,
adeò ut absurdam & impossibilem prorsus statuunt communica-
tionem priorum. Keckermannus in *Syst. Log. l. I. c. 21.* sic scribit:
Omne proprium unius speciei est incommunicabile alteri realiter diversa.
Axioma, inquit, est Logicum, penè tam manifestum natura, ut illud, bis
quatuor esse octo. Ideoq; à nemine Philosophorum, ne iis quidem, qui ad
multa paradoxa proni fuerunt, usq; ad hæc tempora nostra negatur. Ac-
clamant Socii omnes & uno ore vociferantur: Proprium unius
natura non potest alteri realiter distincta natura communicari. Timplerus
3. Metaph. c. 3. q. 13. Goclen. in disp. Log. passim. Vedelius in rationali Theolog.
Massonius in Anatomia universali & recent. triumphante. Becmannus in
Disseptatione Servestana & c. Verùm fallunt Socii & errant non pa-
rum. Aristotelem, Philosophorum Principem, audiant primò
omnium, qui hanc in rem egregiè scribit, lib. 2. de Partib. Anim. c. 2.
ibiq; disertè docet, quædam calida esse per συνδυασιν per unionem
seu associationem, ut est ferrum, aut aqua calida. συνδυαζόμενον θερ-
μόν οἶον εἴ τις θεῖτο ὄνομα ὕδατι, ἢ σιδήρῳ. Hoc etiam modo sanguis calidus
est, inquit Philosophus dicto loco. Item pergit: Calida quæ sunt, ea vel
propriam habent caliditatem vel alienam, εἰ δὲ οὐχ ἴαν ἔχῃ τὴν θερμότητα,
ταῦδε οὐκ εἶναι. Plurimum verò interest hoc aut illo modo calidum quippiam
esse. Proximum enim est, ut unum per accidens sit calidum, alterum verò
per se. Potrò ait Philosophus: Natura ignis tale quid fortasse est, τὸ ὑπο-
κειμένον, Subiectum verò vel fumus vel carbo. Adusta quoq; ferè omnia
habent aliquid caliditatis, ut calx, cinis, sedimenta animalium & inter ex-
crementa vel eò quod fervore nimio exaruerint & relictum aliquid calidi-
tatis in se contineant. Hæc Arist. d. l. Ecce calor ignis est proprium
ignis, & tamen aliis speciebus competit, certoq; modo inest. Sciant
ergo & observent adversarii, quod quædam propria alteri conve-
niant per & propter unionem, copulationem seu associationem &
communione naturarum, substantiarum seu specierum, id quod
luculenter satis ex verbis Philosophi modò citatis in exemplo ca-
loris

Aristote-
les.

loris apparet. Argumentamur inde & concludimus ita :

Quicquid ob unionem cum igne continet calorem alienum & per calorem ignis fit calidum, illi realiter communicatur calor ignis.

Asqui ferrum candens, aqua fervida, carbo & similia alia, ob unionem cum igne continent calorem alienum & per calorem ignis fiunt calida.

Ergò ferro candenti, aquæ fervidæ, carboni, aliisque similibus, realiter communicatur calor ignis. Et per consequens, quoddam Proprium alteri naturæ s. speciei realiter diversæ communicatur.

Minor est adeò evidens, ut sensibus quoque sit exposita ac nota factis. Nec Major dubitationis aleam facile subibit, cum ille calor per se ac *ἑαυτῶς* sit in igne, & idem profus ob *συνδύασις* attribuetur ferro, aliisque cum igne unitis, quæ propterea Proprium ignis, mediante igne, participant, ita ut per illum ipsum calorem participatum unà cum igne calefaciant & urant. Hinc cauterium imprimendo urit, & urendo facit impressionem. Machæra ignita urendo incidit & incidendo urit, quod neutra natura ignis aut ferri sine alterâ præstare potis est. At verò communio actionum præsupponit communionem Propriorum & naturarum. Et hoc primum est, quod ex Aristotele aduersus audaciam & temeritatem Keckermanni prænotandum duximus. Quod ut magis magisque intelligatur, egregius Basilii locus adscribatur, quo totam hanc rem eruditè & eleganter sic eloquitur: ignis est in ferro, *ἢ μεταβατικῶς, ἀλλὰ μεταδοτικῶς*, non transitive, sed communicative. Non enim excurrit ignis in ferrum, sed manens in suo loco *μεταδίδωσιν αὐτῷ τῆς οἰκείας δυνάμεως*, communicat ipsi suam propriam facultatem, nec communicatione illâ fit minor, sed se ipso illud totum replet, quod particeps est ignis. Præterea observes ex Aristotele, qualitatem fieri divisibilem ob & propter quantitatem, prout ea est in quanto divisibili. Sic *l. 6. Physic. 37.* scribit, quantitatis divisionem per se, qualitatis verò per accidens esse. Si ergo quale v. g. album, sit divisibile propter quantum. E. divisibilitas quantitatis communicatur qualitati. Unde manifestò apparet, non omninò incommunicabile esse Proprium, nec axioma illud Keckerm. simp-

pliciter verum esse, nec Propriorum communicationem adeo ignotam aut invisam esse superioribus seculis, ut temerè satis scriptitat Keckermannus.

QUÆSTIO VII.

An actu videri sit proprium corporis?

Tritissima in scholis Logicorum regula est: *Propria intelligenda sunt de potentia, non de actu.* Sic potentia ridendi, loquendi, numerandi &c. proprium hominis dicitur, non quod semper actu rideat, loquatur aut numeret, sed quod possit ridere, loqui, numerare. Unde disputant Theologi pariter & Philosophi contra Calvinianos, quod non *actu videri*, non *actu palpari*, non *actu locari*, sit proprium corporis, sed *visibile esse*, id est, posse videri, *palpabile esse*, id est, posse palpari, *locabile esse*, i. e. locari. Quod ipsum rectè urgent *collocutores Lutherani in disceptatione Christianâ Servestanâ p. 604. & seq. p. 610. &c. contra Christianum Becmannum Superintendentem Servestanum.* Actu videri, inquit, non pertinet ad essentialia consequentia, quæ essentiam insequuntur, sed est accidens, *welches auch von seinem Subjecto natürlicher weise vnd durch natürliche ursach kan weggenommen werden.* Contra disputat ibi Becman, *Actu videri esse proprium corporis figurati, &c. p. 612.* Sed tamen cautelam addit, nempe includenda hîc esse ea puncta necessaria, quæ prærequiruntur, scil. *ut corpus sit terminatum, oculis præsens & medium benè dispositum, illuminatumq; oculus sanus & benè formatus.* Hæc, ait, *si adsunt, necessario videtur corpus.* Verùm enim verò cumulus iste requisitorum tantum abest, ut juvet causam Calvinistæ, ut eam potius perdat & pessundet fortius. Ea enim omnia cum partim non sufficiant, partim extrinsecus accidant corporibus, exinde magis magisq; apparet, actu videri non esse proprium corporis, sed accidens. Natura enim proprii est, ut intrinsecus per se insit suo subjecto, remotis omnibus extraneis. Argumentor:

Quicquid non competit corpori omni, remotis aliis extraneis, illud non est ejus Proprium essentialia ac inseparabile.

Actu videri, actu palpari, non competit corpori, remotis aliis extraneis.

Ergò

Ergo actu videri, actu palpari non est proprium corporis essentialiale ac inseparabile.

Major constat ex definitione Proprii, præsertim ejus, quod dicitur in quarto modo, & perfectissimum est.

Minor patet ex cumulo illo requisitorum, quem facit Calvinista in verbis citatis.

Adde, quod non omne corpus terminatum actu videatur, ut aer, coelum, & quæ intus abscondita sunt, ut oculis exponi non possint. Multa latent in tenebris sub aquis in visceribus terræ, quæ propterea actu videri nequeunt. Nox profunda facit, ut nihil videatur, quod visui præsentissimum est. Quocirca manifestò constat, Corpus quatenus tale non videri, nec semper videri, ut ut visibile sit, sed illud aliunde extrinsecus accedit corpori, nempe ex illuminatione & oculorum apprehensione. Non igitur Proprium ejus est, sed accidens. Observa tamen, quod quæstio hæc sit de Proprio interno & essentiali, quod dicitur ἐν ἑαυτῷ & in quarto modo. Ipse

Beccman. in sua discept. Servest. p. 612. ejus definitionem adducit.

Proprium, inquit, est, quod uni soli speciei ejusq; Individuis semper inest.

Unde fluit propositio notissima: quicquid non omnibus corporum Individuis semper inest, illud non est proprium corporis.

Subsumo: Actu videri non omnibus corporum Individuis semper inest. Ergo actu videri non est Proprium corporis. Sed excipit

Beccmannus: Die Steine/Bäume/Kräuter/Metallen/Thiere/Sterne vnd so fort/werden allezeit actu gesehen/wö fern die augen mit vorer-melten conditionen vorhanden sind. Resp. Illud, wo fern/si, hypo-

thesis illa, valdè adverstatur adversario, eo enim ipso negatur corpora semper videri, cum ejusmodi hypothesis non semper adfit.

Quid verò? si oculi sint clausi, ut in dormientibus, aut averfi ab objecto, à tergis, aut non apprehendant corpus præfens, ut in pro-

fundis melancholicorum meditationibus fieri solet, an tunc actu videntur qui adsunt? Non sanè. Nondum ergo satis est ad

actualem visionem, quod dixerat Calvinista. Et quid est, quod ait, Wenn die augen vorhanden sind/vel enim in actu visionis sunt, vel non.

Si hoc, neq; tunc actu videntur corpora: sin prius, illud intellectum velit, tunc ineptissima est responsio. Nimirum hoc dicitur, quando

oculi in actu visionis adsunt, id est, actu vident corpus. Sensus ergo est:

Cor-

Beccman-
nus.

Corpora semper videntur, quando actu videntur. Ecce Ineptias Calviné-
stæ! Ita sanè quæq; accidentia communia omnibus semper actu
insunt, quando insunt. Ergone omnia accidentia communia sunt
Propria? Absurdum. Porro sic ratiocinatur Beccmannus dicto lo-
co p. 612. In dem ein *Corpus* ist *figuratum, circumscriptum*, hat es seine
gewisse unterschiedene theile *est lucidum, coloratum*, so giebet es dannen-
hero subtile gestalten oder *species visibiles* nothwendig von sich / vnd diese
werden folgendes von augen / wann sie obgefasset massen beschaffen seyn
nothwendig ergriffen vnd also gesehen / Denn gleichwie ein solch *corpus*
im wasser vnd im spiegelu erscheinet: Also erscheinet es auch im Natürli-
chen spiegel / das ist / im Auge / oder wird von vns gesehen. Argumentum
tale est:

Quod necessariò de se spargit *species visibiles*, illud necessariò
ab oculis videtur.

At omne corpus *figuratum circumscriptum*, certis suis partibus
instructum, *lucidum, coloratum*, necessariò de se spargit *spe-
cies visibiles*.

E. omne corpus *figuratum, &c.*

Resp. Major non est absolutè vera, sed duntaxat de necessitate hy-
potheseos, ut ipse Beccmannus addit limitationem. Wann die aus-
gen obgefasset massen beschaffen seyn / si nimirum oculi adsint, non
modo præsentés aut otiosi, sed *negotiosi*, ita ut recipiant illas *species*,
& sic *videndo apprehendant* illa corpora. Sine quo si fuerit, *visibilia*
quidem sunt, Sed actu nõ videntur. V. g. In silvis vastis multa ligna,
multæ arbores ex se spargunt *species visibiles*, & tamen ut pluri-
mum ibi non videntur, cum oculi non adsint semper, à quibus ap-
prehenduntur. Deinde committitur ignoratio Elenchi & muta-
tur status controversiæ. Quæstio erat *de corpore, an ejus proprium sit
actu videri, & per se semper videatur*. Hoc negamus. Elementa in
mixtis corporibus. v. g. in homine substantialiter sunt, & tamen
ibi non videntur. Hordei & lupuli substantia est in cerevisiâ, in
vino sulphur, calx, &c. quæ tamen corpora ibi actu non videntur.
Beccman. concludit, *corpus lucidum* (illuminatum dicere debuif-
set) & *coloratum necessariò videri*. E. non omne corpus semper actu
videtur. E. actu videri non est proprium corporis. Hæc lis est, &
cardo controversiæ. Errat itaq; Beccman. quando scribit p. 616.

bomi-

hominem videri ut corpus est. Falsum. Sed ut coloratus est, potest videri. Confundit in super *lucidum & illuminatum esse.* Non omnia sunt lucida, quæ videntur, sed illuminata. Porro committit fallaciam consequentis. Non sequitur corpora quædam, nempe colorata & illuminata, visui exposita necessario actu videntur. Ergo actu videri est Proprium corporis. Hoc enim fit per accidens, non per se. Tandem scribit, *Das nun ein Corpus actu gesehen wird, dieses set her ab actuali quantitate, figura, luce, colore ejusdem.* Quod si id est, tunc omnia quanta, figurata, lucida & illuminata & colorata semper actu videntur. Falsissimum, ut supra monuimus sæpius. Plura requiruntur ad actualem visionem, uti ea magno cumulo conglomerat p. 611. Unum superest, quod perpendat velim, astra de die lucent, oculisq; exposita sunt, nec tamen actu videntur. Quæ causa sit, exponat nobis Calvinista Beccmannus, & palàm animadvertet, quam turpiter hactenus disputarit. Corruunt sanè singula, quæ hactenus opposuerat.

QUÆSTIO VIII.

An duplex sit vita in uno homine, ita ut alia sit anime, & alia corporis?

Sic disputant Calvinistæ, Goclenius, Timplerus, Keckermannus, Combachius, & ex illis Massonius part. 2. Anatom. Univers. cap. 8. pag. 650. & c. Quæ causa eò cautius pertractanda est, quo vehementius agitari solet. Primò omnium prænotandum est, quod eruditè monet *Thomas part. 1. q. 18. artic. secund.* Quia, inquit, sic nominamus aliquid, sicut cognoscimus, inde est, quod plerumq; proprietatibus imponuntur nomina ad significandum essentias. Indeq; hujusmodi nomina quandoq; accipiuntur propriè pro ipsis essentiis rerum, ad quas significandas principaliter sint imposita: aliquando autem sumuntur pro proprietatibus, à quibus imponuntur, & hoc minus propriè. Sic ergo dicendum est de vitâ. Nam hoc nomen sumitur ex quodam exterius apparente circa rem, quod est movere seipsum: non tamen impositum est hoc nomen ad hoc significandum, sed ad significandum substantiam, cui contingit secundum naturam movere seipsam vel agere se quocunq; modo ad operationem. Et secundum hoc vivere nihil aliud est, quàm esse in tali natura: & vita significat hoc ipsum, sed in abstracto.

C

abstracto.

fracto. Unde vivum non est prædicatum accidentale, sed substantia-
 le. Quandoq; tamen vita sumitur minus propriè pro operationibus
 vitæ, à quibus nomen vita adsumitur. Vita igitur propriè non est
 actio vitalis, quam variam esse nemo dubitat, & licet alicubi sic acci-
 piatur, ea tamen hujus loci non est, sicut nec de diversæ vitæ signifi-
 cationibus nunc dubium movetur ullum. Sed vitam intelligimus,
 qua per se vivum constituitur, eadem profus ratione, qua corpus
 redditur animatum ab anima. Hanc dicimus vitam non nisi unam
 esse, eamq; animæ propriam & essentialem. Quod ut intelligas re-
 ctius, observes porro, quod per animam actu vivum fiat corpus, quod
 Aristote- *δυνάμεις*, potentiâ, tale erat, ut disertè Aristoteles docet in definitione
 les. Animæ, qua eam laudat *actum corporis organici potentia vitam habentis,*
lib. 2. de Anim. c. 1. Indeq; passim inculcat per mansionem animæ in
 corpore, vivum fieri & esse totum animatum. Sic igitur anima *πρὸς τὸν*
 & per se vita est, indeq; corpus redditur vivum. Sed & expressè do-
 cet Philosophus ipsam animæ vitam reddere corpus vivum, *lib. 2. de*
Augusti- Anima c. 1. & 2. & c. Quam in rem eruditè scribit Augustinus *lib. de A-*
nus lib. de nim. & Spiritu cap. 9. p. 854. Anima ex eo dicta est, quod animet corpus ad
Spiritu & viveadum, hoc est, vivificet. Spiritus est ipsa anima pro spiritali natura vel
Anima pro eo, quod spiret in corpore, appellatus est spiritus. Anima & spiritus idem
cap. 9. sunt in homine, quamvis aliud notet spiritus, & aliud anima. Spiritus
namq; ad substantiam dicitur, & anima ad vivificationem. Eadem est es-
sentia, sed proprietates diversa: Nam unus & idem spiritus ad seipsum dici-
tur spiritus & ad corpus anima. Spiritus est, in quantum est rationis præ-
cap. 14. dita substantia rationalis: anima in quantum est vitæ corporis. Item c. 14.
p. 861. Mira societas carnis & animæ, spiritus vitæ & limi terræ. Sic
enim scriptum est; Fecit Deus hominem de limo terræ, & inspiravit
in faciem ejus spiraculum vitæ, dans ei sensum & intellectum, ut per
sensum lutum sibi sociatum vivificaret & per intellectum regeret. Præ-
cap. 18. terea c. 18. p. 864. scribit, Anima præsentia sua corpus vivificat, & sic
colligata est ei, ut nec cum velit inde segregare se possit, nec retinere
cum sui creatoris jussione audierit. In vita siquidem anima consistit
cap. 21. vitæ corporis, &c. Et rursus cap. 21. p. 866. Istas vires (appetendi, sentien-
di, &c.) habent omnia animalia, & ideò corporis magis videntur esse
quàm animæ, cum anima sit vitæ corporis. Item c. 43. p. 885. Ex corpo-
re & anima constat homo: & quicquid oculis corporeis videtur pro-
pter corpus factum est, corpus propter animam. Vita corporis anima
est.

est. Quæ omnia qui rectè perpendit, facile perspiciet, non esse aliam vitam animæ, & aliam corporis, sicq; duplicem, ut Calvinistæ delirant, sed unam eandemq;. Plura alibi. Cogimur hîc esse breviores. Concludimus cum Augustino ex lib. citato cap. 48. p 888. *Nec duas animas esse credimus in uno homine, sicut multi scribunt, unam animale[m], quâ animetur corpus & immixta sit sanguini, & alteram spiritalem, quæ rationem ministrat. Sed sic dicimus, unam eandemq; animam esse in homine, quæ & corpus suâ societate vivificet, & semetipsam suâ ratione disponat, habens in se libertatem arbitrii, ut in sua substantiâ eligat cogitatione quod vult, &c.* cap. 48.

QUÆSTIO IX.

An inter Velle, Nonvelle, & Nolle

sit discrimen?

Ita statuit ipse Philosophus *lib. 3. Ethic. c. 1.* dum inter actionem voluntariam & non voluntariam constituit adhuc mixtam differentiam. Et verè: Nam experimur voluntatem humanam non semper simpliciter sese determinare ad eligendum & suscipiendum aliquid, neq; etiam semper averfari rem eum simplici repugnantia: sed partim consentire, partim dissentire. Quod sanè argumento est, nec voluntatem, nec noluntatem, sed Non-Voluntatem aliquando obtinere.

QUÆSTIO X.

Quenam sint cause mutationum Rerum-

publicarum?

Variæ à variis conquiruntur causæ, cur Respublicæ & regna mutantur, transferantur & intereant, de quibus omnibus judicare nec libet nec licet. Præcipuas è sacris regnorum historiis desumendas esse censemus, quales sunt, *impietas superiorum, contemptus verbi divini, injustitia imperantiam, impunita flagitia & scelera.* Summatim vocantur clamantia peccata. De quibus ex parte monent versiculi:

Clamitat ad cælum vox sanguinis, & Sodomorum,

Vox oppressorum, merces detenta laborum.

Sed manum de tabula. Sapienti fatis.

SOLI DEO GLORIA.

Ornatissimo & Præstantissimo,
DN. RESPONDENTI, Amico & Com-
mentali suo:

ET Sophiam variè temerat malè-sana caterva
Calvini & Papæ, dogmata prava ferunt.
Heic, HEROLDE tuas forti conamine vires
Expande, ingenti marte tuere thesin,
Applaudent docti, qui pulpita sancta Lutheri
Prensant, & lætus præmia digna feres.

Gratulat.

Johannes Scharfius L.
Præses,

DUm variè tractas Sophiam, & dignoscis, HEROLDE,
Priscum, quodq; novum, quis tibi finis erit?
Volvere non fatis est privatim scripta Sophorum,
Publicitus dubias diluis arte plicas.
Te manet insignis fructus, quem respicis ipse,
Ingenii vires excolis ingenuas.
Hæresiarcharum perdoctè prava refutas
Dogmata: sic perge, & charus eris patriæ.

Φιλίας ἔνεκα
app:

M. Johannes Mirus,
Adorhâ - Variscus.

Coll. dr. ss. A. 215, misc. 41